



MELISSA


EUROPAEA FOLIA SEXIES IN ANNO LATINE EDITA

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan - B-1040 BRUXELLIS. Tel. (02) 735 04 08. Telecop. (02) 735 51 32

Editor responsalis: Gaius LICOPPE - Compositrix: Francisca DERAEDT - guy.licoppe@pophost.eunet.be

Bureau de dépôt: 1040 Bruxelles 4 - Afgifte kantoor: 1040 Brussel 4

Mel aestuum undique ...



- | | |
|--|---------|
| ... Finnia est inter nationes Europaeas corvus albus... | ❧ p. 2 |
| ... Alexandreae antiqua monumenta nobis paulatim
innotescunt | ❧ p. 3 |
| ... Lexingtoniae mense Maio actum est prius
conventiculum Latinum huius anni | ❧ p. 6 |
| ... Peruviensis Latinista Belga inclinavit septimo
decimo saeculo | ❧ p. 7 |
| ... Inter Hispaniam et Finniam disputatio fit de
eleganti usu linguae Latinae | ❧ p. 8 |
| ... Et Corea nobis afferuntur Latinae versiones operum
modernorum | ❧ p. 10 |
| ... Sirenum regio non tam longe abest a nobis... | ❧ p. 12 |
| ... In Belgica (vix credibile!) adhuc exstant discipuli,
qui Latine poetari soleant | ❧ p. 14 |
| ... Coloniae inveniuntur nitidae inscriptiones
sepulcrales | ❧ p. 15 |
| ... Et varii nuntii undique afferuntur! | ❧ p. 16 |

Alexandreae: ingens columna monolitha imperatori
Diocletiano dicata, qualis apparebat periegetibus
undevicesimi saeculi.

FINNIA

SOLA CONTRA CETERAS CONSOCIATAS CIVITATES EUROPAE LINGUAM LATINAM OFFICIALITER PROMOVET ET ADHIBET !

Mense Iulio huius anni Finnia primum accepit Unionis Europaeae praesidentiam, quam sex menses tenebit. Hac occasione data regentes Finni dilucide ostendere voluerunt se linguam Latinam magni facere eamque utilem habere ad commercium inter civitates Europaeas fovendum.

Singulis septimanis divulgabitur per radiophoniam et interrete «conspectus rerum Latinus». Textum primi «conspectus» infra divulgamus. Sodales Latini insequentes relationes invenire poterunt per interrete in situ, qui est hic: <http://presidency.finland.fi/media/>

•*Conspectus rerum Latinus 1-4.7.1999*

Finnia praesidentiam Unionis Europaeae senorum mensium a Germania Kalendis Iuliis accepit. Nunc primum fit, ut Finni Unioni praesideant, erique eorum ultima ante novum millennium praesidentia. Huius temporis proprium erit elementa integrationis Europaeae laboribus strenuis consolidare.

Quibus rebus includuntur proxima colloquia Unionis Oeconomicae et Monetariae, praeparationes ad amplificationem communitatis spectantes, evolutio politicae communis et rerum exterarum et securitatis atque praeparatio novae doctrinae strategicae et novorum consiliorum, quibus negotia quaestusque adiuventur et incrementum oeconomicum in UE promoveatur.

Quae gravissima sarcina erit mensium proximorum. Praesidentia longam seriem conventuum officialium aut inofficialium afferet, quibus ministri et magistratus quindecim membrorum Unionis intererunt.

Paulo ante praesidentiam Finnis traditam primus minister Paavo Lipponen plurimis diurnariis Finnis et peregrinis convocatis programma laboris divulgavit. Illis narravit se quidem «graviter sollicitari», quod suffragatores in comitiis parlamentaribus Europaeis, Idibus Iunii habitis, pauciores fuissent, sed id non esse votum, quo diffidentia erga totam Unionem significaretur.

Finnorum interest res ita promovere, ut UE

apertior et dilucidior fiat. Quam ob rem Finnia novum consilium cepit, ex quo omnia fere agenda conventum, inter praesidentiam futurorum, divulgarentur.

Pridie Kalendas Iulias, vigilia praesidentiae Finnicae, media urbs Bruxellarum scaena fuit programmatum variorum, musicae, saltationis expositionumque, quibus omnibus color haud dubie Finnicus inerat. Postridie eius diei Helsinki, ubi festum musicum subdiale in splendore neoclassico Fori Senatus datum est, focus celebrationum fuit. Dies festus, nomine 'Festadi', qui anniversarius erit, a ministra rerum exterarum Tarja Halonen inauguratus est.

Primus inter praesidentiam conventus fuit coetus inofficialis ministrorum mercatura et industriae, qui in urbe Oulu Finniae septentrionalis, actus est. Participes eius, celerrimum progressum technologiae informationis considerantes, de competitivitate negotiorum Unionis Europaeae colloquebantur.

In ipsis praesidentiae initii altercatio quaedam inter Finniam et Germaniam orta est, quia lingua Germanica pro sermone officiali in conventibus apud Finnos agendis non habetur. Hoc autem fit secundum regulas Unionis, sed Germani asseveraverunt se conventus inofficiales inter praesidentiam Finnorum boicotizaturos esse. At felicius fit, ut Praesidentiae locus interretiarius nuntios et informationem Finnice, Suetice, Anglice, Francice - nec non Germanice praebeat!

Extra Finniam diurnarii, qui suorum regentium consilia sibi assumere solent, de hac re nihil boni scripserunt, quin etiam rem irriserunt. Exemplum affero e diario Nederlandico «De Telegraaf», ubi in minimo articulo brevis mentio facta est de incepto Latino Finnorum. «In cauda venenum», nam in fine articuli legitur Finnos linguas difficiles amare; quendam ex eis cantilenas Elvisii Presley non solum in Latinum vertisse, sed in animo habere eas vertere in linguam Sumerianam, quae in usu fuit tertio millennio ante Christum natum... 



DE GLORIA ALEXANDREAE (III)

SCRIPSIT GAIUS LICOPPE

Unus antiquum monumentum Alexandreae hodie manet erectum: columna monolitha ex Syenita, quae adhuc solet falso nominari Pompeiana. Altitudinem habet triginta metrorum atque latitudinem in infima parte 2,7 metrorum et in summa 2,3 metrorum. Est ergo maximum opus monolithum totius orbis Graeco-Romani. Nunc solitaria eminet medio in campo archaeologico, ubi antiquitus erat area templi Serapidis.


In occidentali latere basis in qua columna imposita est, legitur inscriptio, qua indicatur columnam in honorem imperatoris Diocletiani anno 297 p.Ch.n. erectam esse a Publio, Aegypti praefecto.

Valde mirandum est quod haec solitaria columna ante tot saecula erecta non est eversa, praesertim cum sciamus terram Alexandreae tot tantosque motus passam esse. Res eo magis est miranda, quod columnae basis nititur in rudibus fundamentis, quae ex heteroclitis pristinorum monumentorum fragmentis constant. Inter haec fragmenta iacet pars cuiusdam fracti obelisci pharaoni Thutmosi II dicati.

In summa columna Diocletiani statua antiquitus verisimiliter imposta est, de qua, etsi nihil certi scimus, testimonium tamen exstat in republica Israeliana. In ruinis enim cuiusdam domus quinto saeculo exstructae inventum est opus musivum Alexandream describens, ubi columna Diocletiani statua aucta bene agnoscitur.

Exeunte duodevicesimo saeculo, cum expeditio generalis Bonaparte Aegyptum Europaeis iterum aperuit, Alexandria minimum oppidum facta erat, cuius moenia Arabica iam non includebant Diocletiani columnam in summa acropoli eminentem. Non mirum ergo quod fama fert exercitum Francogallicum hoc oppidum expugnavisse in conspectu generalis Bonaparte sub columna sedentis.

Docti qui frequentes expeditionem Francogallicam comitabantur columnam Diocletiani valde admirabantur. Unus ex eis, Vivens Denon nomine, aquatis pigmentis depinxit quo modo nonnulli eius comitum se usque in summam columnam levare valuerint. Qui ludimentis velivolantibus¹, quibus homines illius temporis multum delectabantur, imprimis ad tenuem



Hoc delineamentum fecerunt docti, qui Napoleonis expeditionem in Aegyptum comitabantur, ut monstrarent quomodo ludimento velivolanti utentes in summam columnam ascendere valuerint.

funiculum supra summam columnam mittendum usi sunt. Quo facto crassiores firmioresque restes supra summam columnam adtrahere potuerunt necnon scalas flexiles, quibus commodior fieret ascensio. Postea, undevicesimo saeculo quo satis multi locupletes Europaei iter Aegyptiacum curiositatis delectationisque causa suscipere coeperunt, mos erat Diocletiani columnam ascendere, quin etiam in eius summo sedere ad prandiculum subdivale una cum amicis sumendum. Si recogitamus de incommodis vestibus, quales Europaei undevicesimo saeculo gerere solebant, valde mirandum est quod non solum viri, sed etiam feminae in summum pervenire valuerunt!

Supra diximus columnam Diocletiani in area templi Serapidis erectam esse. Quod templum secundum Ammiani Marcellini opinionem Alexandreae pulcherrimum erat: «His accedunt altis sufflata fastigiis templa, inter quae eminet Serapeum, quod licet minuatur exilitate verborum,

atriis tamen columnatis amplissimis, et spirantibus signorum fragmentis, et reliqua operum multitudine ita est ornatum ut post Capitolium, quo se venerabilis Roma in aeternum adtollit, nihil



In hac statua Serapis monstratur modium (Gr. κάλαθος) in capite gerens; quo signo significatur abundantia (Alexandreae in museo Graeco-Romano).

orbis terrarum ambitiosius cernat. In quo duo bibliothcae fuerunt inaestimabiles...» (Marcell. Hist. XXII 16,12-13).

Serapei praestantia eo magis miranda est, quod Serapis optimum exemplum est cuiusdam dei pro necessitatibus politicis creati. Nam primus rex Lagidarum stirpis, Ptolemaeus I, sibi proposuerat ut Graecos, quorum multos in Aegyptum attraxerat, cum autochthonibus Aegyptiis commisceret. Ad quod efficiendum putavit religionem sibi magno fore auxilio. Portentosam invenit fabulam, quam Tacitus his verbis fuse narrat: «Origo dei (Serapidis) nondum nostris auctoribus celebrata; Aegyptiorum antistites sic memorant, Ptolemaeo regi, qui Macedonum primus Aegypti opes firmavit, cum Alexandriae recens conditae moenia templaque et religiones adderet, oblatum per quietem decore eximio et maiore quam humana specie iuvenem, qui moneret ut fidissimis amicorum in Pontum missis effigiem suam acciret; laetum id regno magnamque et inclutam sedem fore quae exceperisset: simul visum eundem iuvenem

in caelum igne plurimo attolli.» (Tac. Hist. IV 83). Tacitus narrare pergit Ptolemaeum, omne et miraculo excitum, imprimis sacerdotibus Aegyptiorum nocturnos visus aperuisse. Sed illi responderunt se parum gnaros esse externarum regionum. Deinde Ptolemaeus Timotheum Atheniensem, quem ut antistitem caerimoniarum Eleusine exciverat, interrogat. Qui vir comperit apud Sinopen in Ponto esse templum ubi colitur deus nomine Iupiter Dis, cui adsistit muliebris effigies, quam accolae Proserpinam vocant. Ptolemaeus tunc legatos Pythicum Apollinem interrogaturos mittit. Sors oraculi non fuit ambigua: «Irent simulacrumque patris sui reverenter, sororis relinquenter.» (Tac. Hist. IV 83). Legati ergo Sinopen petunt atque muneribus precibusque Scydrothemidi, qui tunc Sinopensibus imperitabat, suadere conantur ut deum sibi tradere velit. Quod nec statim nec facile factum est, obstantibus Sinopensibus. Finem fabulae Tacitus tradit his verbis: «Ptolemaeus non studium, non preces omittere; dignitatem legatorum, numerum navium, auri pondus augebat. (...) Maior hinc fama tradidit deum ipsum adpulsas litori navis sponte concendisse: mirum inde dictu, tertio die tantum maris emensi Alexandriam adpelluntur. Templum pro magnitudine urbis extructum loco cui nomen Rhacotis.» (Tac. Hist. IV 84).

Mirum in modum successit hic Serapidis cultus a Ptolemaeis regibus ex nihilo creatus. Se profudit per totam Aegyptum et inde circum totum mare Mediterraneum. Omnes Graecae civitates suum Serapeum exstruxerunt. Romani etiam Serapideum libenter acceperunt, qui Domitiano imperatore inter deos in Capitolio cultos receptus est.

Novus deus imprimis Aegyptiacam speciem habebat, qui in Osiridis locum succederet. Factus est Isidis novus coniux; eorum filius Harpocrates locum Hori tenebat. Serapis etiam habebat formam tauri Apis, antiqui mortuorum dei. Non solum Aegyptiaca insignia habebat, sed etiam nonnullas Graecorum deorum potestates sibi assumpserat, inter quas Iovis maiestas et Asclepii sanandi facultas.

Ptolemaeus I Serapidis templum exstruere coepit in summo eminentiae, quae vocabatur acropolis. Ptolemaeus III templum multum auxit. Archaeologi ante quinquaginta circiter annos templi vestigia explorantes reppererunt angulos meridionales circuitus templi Ptolemaici atque ibi duo deposita detexerunt, quibus commemoratur templi conditus. Singula deposita constant ex decem tabulis, aureis, argenteis, aeneis, vitreis et fictilibus, ubi litteris et Graecis et hieroglyphicis inscribuntur haec verba: «Rex Ptolemaeus, Ptolemaei et Arsinoae, divisorum fratum, filius, Serapidi templum sacrumque circuitum» («dicavit subauditur»).



Diu stetit templum Ptolemaicum. Suetonius Vespasianum, dum bellum civile contra Vitellium gerit, Alexandriae mansisse templumque Serapidis adiisse narrat his verbis: «Hic cum de firmitate imperii capturus auspiciu[m] aedem Serapidis summotis omnibus solus intrasset ac propitiato multum deo tandem se convertisset, verbenas coronasque et panificia, ut illic assolet, Basilides libertus obtulisse ei visus est; quem neque admissum a quodam et iam pridem propter nervorum valetudinem vix ingredi longeque abesse constabat. Ac statim advenere litterae fusas apud Cremonam Vitelli copias, ipsum in urbe interemptum nuntiantes. Auctoritas et quasi maiestas quaedam ut scilicet inopinato et adhuc novo principi deerat; haec quoque accessit.» (Suet. Vesp. VII).

Templum Ptolemaicum corruit tempore imperatoris Traiani, fortasse propter Iudeorum tumultus. Imperator Hadrianus, Traiani successor, eodem loco novum ampliusque templum aedicandum curavit. Archaeologi undevicesimo saeculo cuniculum sub area templi purgantes invenerunt pulcherrimam integrumque tauri Apis statuam ex basanite factam, quam, ut ex inscriptione patet, Hadrianus dedit consecravitque. Quarto saeculo Ammianus Marcellinus, ut supra rettulimus, Romanum templum invisit breviterque descripsit. Sed iam imminebat eius finalis ruina. Anno enim 391 turba Christianorum, duce Theophilo episcopo, templum bibliothecamque destruxit.

In fine restat ut aliquid dicamus de Alexandri sepulcro. Plurane dicere possumus quam sanctus Iohannes Chrysostomos, qui exeunte quarto saeculo in quadam homelia haec exclamabat: «Ubi est, dicite mihi, τὸ σῶμα Alexandri?». Etiam nomen Alexandri sepulcrum antiquitus ambiguum factum erat. Apud Strabonem verbi gratia non legitur τὸ σῶμα (sepulcrum), sed τὸ σῶμα (corpus).

Nulla huius sepulcri descriptio apud antiquos historicos invenitur. Primo saeculo ante Christum natum Octavius sepulcrum adiit, ut narrat Suetonius his verbis: «Per idem tempus conditorum et corpus Magni Alexandri, cum prolatum e penetrali subiecisset oculis, corona aurea imposta ac floribus aspersis veneratus est consultusque, num et Ptolemaeum inspicere vellet, 'regem se voluisse, ait, videre, non mortuos'.» (Suet. Aug. XVIII).

Exeunte tertio saeculo p.Ch.n., Aureliano et postea Diocletiano imperatore, Alexandri et Ptolemaeorum sepultra disparuerunt causis incognitis.

In omnibus fontibus et antiquis et Arabicis et recentioribus nitentes, archaeologi putant regalem necropolin sitam esse prope compitum viae Canopeae et cardinis, in loco hodie «Kôm el-Dick»

vocato. Effossiones tamen archaeologicae nihil detexerunt, quo haec hypothesis confirmari possit. Perduto sepulcro, non impeditur quin adhuc vigeat memoria Alexandri.

ADNOTATIO

¹ «Ludimentum velivolans»: difficile est nomen Latinum invenire idoneum ad huius modi ludimentum nuncupandum. Valde enim inter se differunt nomina adhibita in linguis hodiernis: Fr. cerf-volant (cervus volans!), Th. Drache (draco), Angl. Kite (milvus), It. Aquilone (ex aquila fictum), Hisp. in Europa, cometa (cometa) et in America, volatin. Ex his vocabulis tantum duo nihil aliud significant quam hoc ludimentum velivolans de quo hic agitur. Latine intellegibiliter dicere possumus «milvum artificiosum», sed «volatin», meo sensu, est vocabulum bene fictum et auditu iucundum. Cur non dicamus ergo Latine «vōlātīnūm, ī» (neutri generis)?



In hac papyro apparet (vix perspicue, sed apparet) effigies episcopi Theophili, qui plebem incitavit ad Serapeum delendum (Viennae in Museo Historico).

DE CONVENTICULO LATINO LEXINTONIENSI

REFERT VICTORIUS CIARROCCHI

In quodam aedificio campi universitarii Lexingtoniae, quae urbs in Kentukiana civitate posita est, die vigesimo tertio mensis Maii an. MIM celebrari coeptum est Conventiculum Latinum, quod Terentius Tunberg instituerat. Is enim, qui in eiusdem urbis Universitate linguam Latinam docet et commentarios periodicos Latinos «Retiarius» inscriptos moderatur vulgandoque per Interrete curat, inter viros doctos est collocandus, quibus Romanorum sermo vere cordi est. Itineribus sive longioribus sive brevioribus confectis Lexingtoniam viginti Latinitatis cultores advenerant, quos/quas docta oratione Terentius salutavit atque hortatus est ut inter se Latine semper colloquerentur.

Hora undecima antemeridiana sequentis diei omnes convenimus in illius aedificii nitidum oecum et considimus circa mensam scriptoriam, quam super haud pauci erant libri ad dubia solvenda nostra aptissimi. Prandio sumpto, hora decima quarta et dimidia in nostras sermocinationes incumbere solebamus, magistro aures libenti animo praebentes. Nobis in greges distributis moderabantur Iacobus Dobreff, Accius Watanabe, Godefridus Wills, qui eximii sunt Latinitatis cultores et Terentii fuerunt cooperatores. His in sessionibus proponebantur dicendi scribendique pracepta, verba locutionesque sermonis cottidiani, narrationum relationes, cantica Latina.

Terentius autem, qui linguam Latinam callebat eaque accommodate ac fluenter loquitur, quosdam textus nobis legendos proposuit. At non modo eos elegit scriptores, qui, ut Sallustius et Horatius, aetate vixerunt quae classica dicitur, sed etiam septem octove paginas ex operibus Bedae Venerabilis et Thomae Moro excerptas nobis dedit, ne de continuitate deque flexibilitate - ut ita dicam - huius linguae dubitaremus. Nam omnia Romani sermonis genera suum momentum suasque utilitates habent.


Virorum praeterea doctorum opinioni Terentius noster iure ac merito non assentitur, quibus sacrosancta linguae Latinae repagula is infregisse videatur, qui vel Apulei, vel Hieronymi, vel aliorum senioris Latinitatis scriptorum vocabulis locutionibusve sit usus. Non igitur fas est, iis praesertim hominibus qui Latine loqui quique ad seminaria vel ad huiusmodi conventicula adesse

velint, novis necessitatibus linguisticis obsistere, quas usus ipse linguae Latinae vivus respuere nullo modo potest. Praeterea «si lingua Latina viva apud eruditos viros inducenda est, debet flecti et accommodari ac novam semper edere vocabulorum segetem ex secundo suo gremio. Non enim ita exhausta est mater, ut quod possunt filiae, ipsa non possit» (ut censuit Aemilius Springhetti, in praefatione illius magni operis «Lexicon linguisticae et philologiae» inscripti; Romae, apud Pontificiam Universitatem Gregorianam, 1962, pp. 687). De his deque aliis rebus ad linguisticas quaestiones pertinentibus Terentius, qua pollet doctrina atque ingenii acie, nos opportune commonuit.

Laetis denique auspiciis pridie Kal. Iun. Conventiculum est conclusum. Nos omnes enim sodales, quorum numerum ultimis diebus auxerant Milena Minkova et David Morgan, gaudio hebdomadae simul transactae perfusi, maximas egimus gratias et Gueneverae, uxori magistri nostri humanissimae, valde spe confisi fore ut etiam proximis annis Terentium, decus et columnam Latinitatis Americanae, iterum convenire possimus.

Haec omnibus linguae Latinae vitae cultoribus referre opportunum duxit Victorius Ciarrocchi, Italus Pisaurensis.

Pisauri, die XV mens. Iun. anno MIM p.Chr.n.



Prof. Terentius Tunberg



JOHANNIS DE CONINCK (1625-1709)

EPISTOLA INEDITA (A. 1646)

IN LUCEM PROTRACTA A THEODORICO SACRÉ

Cum nemo fere sit, qui Ferdinandum Verbiest, Philippum Couplet, Franciscum de Rougemont ignoret, missionarios e Societate Iesu eosdemque evangelii necnon eruditionis Europaeae in regno Sinico praecones, pauci admodum reperiuntur in Europa, quibus Iohannes De Coninck notus esse videatur. Apud Peruvianos vero laude etiamnunc floret Iohannes ille Mechliniensis Belga (natus anno 1625), quippe qui, studiis humanioribus in Iesuitarum gymnasio Mechlinensi una cum Philippo Couplet peractis, cum eidem Societati nomen (anno 1642) dedisset paucosque per annos tam Lovanii quam Antverpiae (ubi inter auditores erat Andreae illius Tacquet, matheseos luminis Belgicae) philosophiae et mathematicae incubuisset, non adversante Patre generali ad missiones Indicas, quae vocabantur, anno 1647 profectus in regnumque Peruvianum advectus, et absolutis iam theologiae studiis e Societate circa annum 1656 dimissus, matheseos in alma studiorum universitate Limana professor evaserit et maximus regni Peruviani cosmographus. Huius viri doctissimi litteras ad Athanasium Kircherum e S.I. datas nuper divulgandas curavit Iosephus Barnadas (cfr. J.M. Barnadas, 'Un correspolal del P. Athanasius Kircher SJ desde Charcas: dos cartas de J.R. De Coninck SJ (1653-1655)', *Humanistica Lovaniensia*, 48 (1999), sub prelo); ego vero Coninckii annos apud Belgas peractos illustrare sum conatus idemque nonnullas epistulas aut ab ipso aut ad eum datas, quas Bruxellae, Lovanii et Romae reppereram, publici mox faciam iuris (cfr. D. Sacré, 'Quelques lettres de la correspondance de J.R. De Coninck SJ (1646-1652)', *Humanistica Lovaniensia*, 48 (1999), sub prelo). Opusculo iam ad typographum misso, in Urbem mihi licuit reverti et codices aliquot excutere; cumque ibi in Archivo Romano Societatis Iesu ignotam quandam invenissem epistulam, quam ipse anno 1646 Lovanio Romanum ad Patrem Societatis generalem manu sua scriptam miserat, quo certius confirmaretur profectio iam promissa [«Fondo gesuitico 752, Indipetae Flandro-Belgicae», num. 165], verba ipsa divulgare statui, ne supellex haec epistolica numeris quibusdam careret.

«Admodum Reverende in Christo Pater,

pax Christi. Quamvis forte gratiarum actorias potius quam postulatorias ad r[everendam] adm[odum] P[aternitatem] V[estram] mittere deberem et optarem, quoniam meum iam dudum negotium esse confectum sperare potui: tribus enim abhinc mensibus a r[everendo] P[atre] Bartholomaeo Tafur, provinciae Peruanae procuratore, me licet indignissimum pro suo assumptum, solamque ad id exspectare r[everend]ae adm[odum] P[aternitat]is V[estrae] confirmationem (in cuius benigna manu sortes has felicissimas positas esse scio) ex litteris tum reverendi Patris Bartholomaei Tafur, tum r[everend]il P[atris] nostri provincialis Andreae Judoci inexplicabili animi gaudio percepi; quia tamen de consensu adm[odum] r[everend]ae P[aternitat]is v[estrae] non omnimode mihi constat, quo certior forem, hisce ad benignissimum adm[odum] r[everendae] p[aternitatis] v[estrae] asylum confugere volui, ut siquid ad confirmationem negotii mei requisitum sit, id per pretiosarum animarum salutem, quibus vitam, corpus, sanguinem, me denique totum consecravi, certo confici efflagitarem. Paratus quippe sum pro iis sudorem aut etiam sanguinem fundere, pro quibus Christus ipse suum tam liberaliter ad extremam usque guttam effudit; quosvis appeto perferre labores, pro quibus ipse cruciatus tam atroces pertulit; paratus denique quascumque aerumnas aut difficultates generoso animo exantlare, Deo fretus eiusque animatus gratia, qui me hominem indignissimum et viribus propriis omnino diffidentem ad id vocare dignatus est et cuius unius causa illuc ire contendeo. Videor mihi audire in dies miseras illas animas aeternae Dei conspectus iacturae damnationique suae vicinas, clamantes et exprobrantes socordiam meam, quod opem, quam facile possum, tam segniter ferre studeam. Quare per animarum illarum salutem, per illud, quo nobiscum redemptae sunt, pretium, Christi sanguinem, r[everendam] adm[odum] P[aternitatem] v[estram] supplex obsecro et obtistor ut voti mei compos fieri possim et desertarum animarum primitias, cum messis oblata fuerit, Deo pro r[everend]a adm[odum]

P[aternitate] v[estra] offerre. Quod ut consequar,
me manibus r[everendi] P[atris] provincialis nostri
et r[everendi] P[atris] procuratoris r[everend]ae
adm[odum] P[aternitat]i v[estrae] offero eiusque
confirmationem et s[ancta] sacrificia humiliter
exposco,

admodum r[everendae] P[aternitatis] v[estrae]
minimus in Chr[ist]o servus et filius

Joannes de Coninck Societatis JESU

Lovanio 23. Mart[ii] 1646¹»

[vers.] Reverendo admodum in Christo Patri,
P[atri] Vin-/centio Caraffae Societatis Jesu Praepo-
sito generali. Romae.

[notavit alia manus:] [E] Fland[ria] 23. Mar[ti] 1646. Lovan[io] Joann[es] de Coninck. Gratias agit
pro deputat[ion]e ad Indiam.

hominem indignissimum correx[i]: hominum
indignissimum codex autogr.

ad id: *verba haec supra lin. add. De Coninck*

ADNOTATIO

¹ Respondit Pater generalis 5° Maii eiusdem anni (cfr. Archivum Romanum Societatis Iesu, «Flandro-Belgica», 6, I, p. 184: Lovanium Joanni de Coninck.

Perge alacriter quo mitteris a D[omi]no et
crescas spiritualiter in mille millia. Intellexis
modo sine dubio designationem tui ipsius in
Provinciam Peruanam a P[atre] v[estro]
provincia; quare amplius non occurrit ad
datam a te 23 Martii, quam ut apprecer iter
prosperum et messem uberrimam et demum me
quoque commendes tuis precibus. 5. Maii
[1646].

ut: *supra lin. add.*

quoque: *supra lin. add.* ↗

GRATIAS PRO CONSILIO, ADANCLA !

SCRIPSIT ERICUS PALMÉN

Redactores nuntiorum Latinorum Radiophoniae Finnicae Generalis nuper a Societate Hispanensi ADANCLA nuncupata litteras acceperunt et commentariolum, quo dicta societas, quidnam agere velit, inter alia his verbis demonstrat (infra nonnulla me auctore cursivis litteris impressa sunt): «Fines ad scientiam doctrinamque prorsus spectantes talis societas assequi proponitur (= sibi proponit?), antiquum Graeciae ac Romae cultum et humanitatem definite tueri conatur, linguarum classicarum studium provehere nititur atque ea opera, quae ad eosdem fines consequendos opportune parentur, libenter subsequetur». In ipso nomine ADANCLA insunt litterae initiales verborum Latinorum ASSOCIATIO AD DEFENDENDAM ANTIQUITATEM CLASSICAM. Epistulam, in qua ADANCLA necessitatem ad humaniora studia revertendi fusius scrutatur, etiam ephemeras Vaticana LATINITAS quibusdam

locis correctam edidit (lib.I/1999, p. 85).

In scaenam prodiens ADANCLA, quae rem per se optimam agit, ipsa magistrum linguae Latinae se praebere studet. Namque exemplari epistulae suae in Finniam misso appendicem his verbis subiunxit:

«Animos advertite! Dicendum est Nuntii LATINE, non Nuntii Latini, nam haec constructio ut *nuntii Latinorum vel de Latinis* accipi posset: cf. Angl. *News in Latin*, Hisp. *Noticias en latín*.»

Ad haec pro redactoribus nuntiorum Latinorum respondeo linguam Latinam non sub Anglicis aut Hispanicis, sed suis legibus vivere. Videamus, quidnam Hermann MENGE in opere suo, cui titulus est *Repetitorium der Lateinischen Syntax und Stilistik* (pars secunda, p.10-11) atque Alfred ERNOUT et François THOMAS in libro *Syntaxe latine* inscripto (p.191-192) de adverbiosis ad substantiva adiungendis disserant. Commemorant



quidem hi viri doctissimi nonnullos locos e scriptoribus Romanis excerptos, quibus adverbia brevitatis causa directe substantivis reguntur, sicut *per nudam infra glaciem* (Liv. 21,36,6) et *neque enim ignari sumus ante malorum* (Verg. Aen. 1,198), sed haec potius peculiarium quam solitarum elocutionum exempla esse monent; praeterea versum Vergilianum poeticum esse atque Graecam consuetudinem imitari (ante malorum = τῶν πρόσθεν κακῶν sive τῶν πρὶν κακῶν). Modalia adverbia MENG docet annexi non solere nisi talibus substantivis, quae revera sunt participia verborum, e.g. *facete dictum et egregie factum*. Quod ad *nuntium* attinet, ei elocutio praepositionalis argumentum indicans annexi potest (e.g. Plin. Epist. 6,20,20 *de avunculo nuntius*), sed modale adverbium *Latine* iuxta hoc vocabulum tantummodo addito participio verbali, quod fulciminis vicem gerat, bene quadrat (e.g. *nuntii Latine scripti*). Itaque elocutio *nuntii Latine* repudianda est, ut quam a Latinitate alienam esse videamus.

Ne ADANCLA quidem, si recte intellexi, *nuntios Latinos* omnino pro falsa aut vitiosa, sed tantummodo pro ambigua elocutione notare vult; quae si adhibetur, imminentem periculum, ne quis rerum ignarus in his nuntiis e.g. Catonem aut Ciceronem singulis septimanis ad orationes habendas resurgere putet (*Nuntii Latinorum*) aut nihil in iis nisi res Latinas tractari (*Nuntii de Latinis*). At efficacissimum istius erroris praesto est remedium: si vel unam aut duas emissions nuntiorum Latinorum attento animo audiveris, facile animadvertes in iis de variis rebus totius mundi hodierni narrari.

Utique ADANCLA digna est, cui pro consilio gratias non modo agamus, sed etiam referamus. Liceat igitur mihi duos locos epistulae ab ea compositae, quos redactores LATINITATIS - mirabile dictu! - intactos reliquerunt, breviter attingere. Sperare audeo hoc non minus benigne acceptum iri, quam nos adnotationem ab ADANCLA datam accepimus.

Facta mentione virorum, qui medio saeculo XV «summae eruditionis desiderio tenebantur»,



ADANCLA ita pergit: «*In praesenti, pro dolor! doctrina qua in locis academicis usus fit, longius a tam eiusdem laude digni propositi consecratione abest...*» Cur tam confusa syntaxis, cur tam macaronicus ordo verborum? Nonne simplius et Latinus e.g. ita dicas: «*Nostra autem aetate - pro dolor! - institutio academica a consequendo eodem proposito tam laudabili longius abest?*»

Porro fragmentum ex ultimis lineis epistulae excerptum: «*Ratio quam nos propugnamus (plena humaniorum studiorum modis discendi nunc vigentibus additionem) in breve tempus ad exitum perduci posset.*» Evidem miror, quare ADANCLA tali modo sententiam suam expresserit. Rationem, quam propugnat, ad exitum perductam non nisi in breve tempus ad usum accipi oportere - atque eo transacto fortasse ad hodiernas tenebras sive ad modos discendi nunc vigentes esse redeundum?! At enim hoc omnino absurdum sonat. Malim credere in illa periodo id agi, ut ratio ab ADANCLA commendata brevi tempore ad bonum exitum perduci possit (constat enim exitum Latinum non idem valere ac substantivum Hispanicum el éxito, cui semantice potius respondet elocutio Latina *bonus exitus* sive *successus*).

Sunt etiam alia, quae in eadem epistula emendare libeat; sed longum est ea omnia examinare.

Denique repeto id, quod supra scripsi: rem per se optimam ADANCLA agit. Simul tamen illi societati suadeo, ut Latinitatem suam lucidorem reddere conetur ac nimis tortuosis ambagibus liberare.

ADNOTATIO: ceterum si quis plura scire cupit de hac associatione eiusque propositis, ecce eius inscriptio cursualis: ADANCLA, Av. de Alfonso X el Sabio, 1 - entresuelo, E-03002 Alicante.

FRAGRANTIA (III)

PROPOSITA A NICOLAO GROSS

(...)

«**Q**uonam modo?» Baldinius vocavit voce admodum magna candelam obtendens faciei pumilionis. «Quonam modo miscendum?»

Grenulius tum primum corpus non retraxit. «En omnes adsunt, quibus opus est, omnes odores, en adsunt omnes, in hac cella» dixit digito in tenebras directo. «Adest oleum rosarum! Adest flos arancii! Adest flos caryophylli! Adest ros marinus...!»

«Adsunt quidem!» rudit Baldinius. «Omnes adsunt! Sed modo tibi dixi, stultissime, hoc nihil prodesse, nisi nota esset formula!»

«... Adest gelesimum! Adest spiritus vini! Adest bergamotta! Adest storax!» Grenulius pergebat crocitare, omni nomine appellato monstrans aliquem locum cellae, qui tam obscurus erat, ut vix suspicareris ibi esse umbram pluteorum lagoenis obsitorum.

«Tene etiam noctu videre, ain'?» Baldinius in eum invectus. «Tibin' non solum Parisiorum nasus sagacissimus, sed etiam oculi acerrimi, quid? Si tu habes aures aliquatenus bonas, arrige eas, nam dico tibi: Tu es furunculus. Haud scio an aliquid alicupaveris apud Pelissierum, aliquid speculatus sis, estne ita? Censem' te mihi posse fumum vendere?»

Grenulius nunc corpore prorsus explicato, statura sua, ut ita dicamus, integra ad ianuam stabat, cruribus et bracchiis leviter divaricatis, ut aspectum praeverberet araneae nigrae limini marginique ianuae affixae. «Da mihi» inquit satis profluenter, «decem minutus, ut tibi componam myron Amoris et Psyches. Nunc statim, hac in cella. Magister, da mihi quinque minutus!»

«Censem' me permittere, ut tu in hac officina mea inepte confundas liquores? Essentias, quae ingentis sunt pretii? Tune?»

«Censeo» Grenulius dixit.


«Vah!» Baldinius clamando erupit totum spiritum suum. Tum alte respiravit, diu Grenulium araneae similem spectans deliberabat. Cogitavit: 'Hoc plane nihil refert. Nam cras omnia erunt finita. Scio quidem eum id, quod contendit scire, nescire, omnino scire non posse, nisi sit etiam

maior quam magnus ille Frangipanius. Sed quid est, cur id, quod scio, non sinam ad oculos mihi demonstrari? Alioquin nescio an quodam die Messanae - interdum quidem fit, ut senescentes delirent et perseverent in cogitationibus ineptissimis - in mentem mihi venturum sit me non cognovisse ingenium ὄσφραντικώτατον, animal gratia divina dotatissimum, puerum ingeniosissimum... - Omnino non potest fieri. Secundum omnia, quae ratione percipio, fieri non potest - sed fiunt miracula, hoc constat. Hem, si olim Messanae moriar et succurret mihi morituro: Tum Parisiis, illo vespere, tu oculos clausisti coram miraculo...? Hoc non esset iucundum, Baldini! Licet ille ineptus profundat nonnullas guttas olei rosarum et tinturae musci, tu ipse eas profunderes, si tua adhuc vere interesset fabricare myron Pelissierianum. Quid demum valent aliquot guttae - quamvis caraे, valde, valde caraе! - si comparas cum scientia certa et extrema aetate tranquilla?»

«Attende!» dixit severitate simulata, «attende! Ego... - quodnam est nomen tibi?»

«Grenulius» Grenulius inquit, «Iohannes Baptista Grenulius.»

«Aha» Baldinius dixit. «En attende, Iohannes Baptista Grenuli! Deliberavi. Sit tibi occasio, nunc, statim, verba tua demonstrandi. Qua occasione, quia res tibi manifeste non successerit, simul disces virtutem modestiae, quae - pro aetate tua iuvenili vix exulta, quod fortasse licet ignosci - postea erit condicio sine qua non progredieris, ut particeps tui ordinis tuique collegii, ut maritus, ut subditus, ut homo, ut bonus Christianus. Paratus sum meis sumptibus tibi dare hanc doctrinam, nam certis causis hodie liberalitatem exhibeo, et nescio num aliquando hanc scaenam recordatus quodammodo exhilarer. Sed ne credas me a te posse deruncinari! Iosephi Baldinii nasus est quidem vetustus, sed sagax est, tam sagax, ut differentiam quam minimam mixturae tuae et huius fabricati - tum linteolum Amore et Psyche tinctum e sacculo tractum ad nasum Grenulii agitavit - «statim sentiat. Accede proprius ad hanc mensam et demonstra, quid scias facere! Sed attende, ne quid invertas neve depellas! Ne quid attingas! Primum volo lumen accendere. Volumus



magna lumina adhibere ad
hoc parvum experimentum,
nonne?»

Deinde duas lucernas
alias, quae stabant in
margine magnae mensae
quernea, apprehensas ac-
cendit. Quas omnes iuxta aliam posuit ad
posteriori latus longitudinale, corium semovit,
mediam mensae partem vacuam reddidit. Tum
manu tranquilla sed citata de parvo statumine
detulit instrumenta ad negotium necessaria:
magnam lagoenam mixtoriam ventriosam,
infundibulum vitreum, pipettam, hyalum
mensorum minorem et maiorem eaque omnia bene
ordinata ante se in tabula quernea collocavit.

Grenulius autem interea a margine ianuae
remotus erat. Qui iam cum Baldinius turgidam
suam orationem habuisset, subito desierat rigere
et deprimi. Nihil audivit nisi affirmationem, nihil
nisi illud «Sit tibi», in sinu iubilans more pueri,
qui contumacia assecutus est, ut sibi optatum
concederetur, non flocci faciens coercitiones,
condiciones, monitiones morales, quae cum
concessione coniunctae sunt.

Corpore laxato, primum homini similior quam
bestiae, reliquam suadelam Baldini sivit
praeterfluere sciens se hunc hominem nunc sibi
cedentem iam superavisse.

Baldinio lucernas in mensa huc illuc agitante
Grenulius labendo secessit in tenebras officinae,
ubi plutei erant essentiis, oleis, tinturis pretiosis
completi, et naso sagacissimo confisus lagunculas
necessarias e loculamentis sumpsit. Substantiae
autem erant numero novem: essentia floris
aranciae, oleum limellorum, olea caryophylli et
rosarum, extracta gelesimii et bergamottae et roris
marini, tinctura musci et balsamum storacis, quae
celeriter decerpta in margine mensae collocavit.

Ultimam attraxit amphoram spiritus vini
subtilissimi. Tum se posuit post Baldinium adhuc
vasa sua mixtoria cum acerba diligentia
considerate ordinantem, hunc hyalum paulo huc,
illum paulo illuc moventem, ut omnia ponerentur
vetusto ordine solito et quam decentissime
splenderent lumine lucernarum - et impatientia
tremens exspectavit, dum senex se removeret
sibique locum cederet.

«Sic satis est!» tandem Baldinius locutus
secessit. «Hic omnia sunt ordinata, quibus eges
ad - dicamus comitatis causa - 'experimentum'

tuum faciendum. Ne quid diffringas, ne quas
guttas perdas! Nam hoc demitte in animum tuum:
hi liquores, quos tibi nunc per quinque minutias
licet exercere, sunt cariores et rariores, quam ut
tales tanta subtilitate creatos umquam in vita tua
iterum manibus teneas!»

«Quantum vis tibi fabricem, magister?»
Grenulius interrogavit.

«Quid fabrices...?» Baldinius dixit oratione
nondum finita.

«Quantum myri?» Grenulius stridula voce
«quantum vis accipere? Estne haec lagoena
ventriosa complenda usque ad marginem?»
digoque monstravit lagoenam mixtoriam, qua
facile tres litrae capi videbantur.

«Cave ne istud facias!» Baldinius territus
clamavit, quasi ex se clamaret anxietas
possessionis suae profundendae tam inveterata
quam spontanea. Cum autem paene puderet
huius clamoris indolem suam pandentis, rudendo
addidit: «Neve interrumpas sermonem meum!»,
tum tranquillus et ironice locuturus: «Quid
prosunt nobis tres litrae myri, quod nos ambo
parum aestimamus? Profecto sufficeret pocillum
mensurale dimidium. Sed cum tantulae copiae
non satis accurate possint commisceri, tibi
permittam, ut tertiam partem lagoenae mixtoriae
fabrices.»

«Bene» Grenulius inquit. «Hanc lagoenam
usque ad tertiam partem complebo 'Amore et
Psyche'. Sed, magister Baldini, hoc faciam mea
ratione. Nescio, num haec sit ratio artis solita,
nam eam ignoro, sed ego faciam mea ratione.»

«Facias!» Baldinius dixit, qui scivit in hoc
negotio non esse rationem meam aut tuam, sed
solam unam, unicam possibillem et rectam, quae
in eo esset, ut formula cognita secundum copiam
petitam calculando fabricaretur liquor essentiarum
diversarum concentratus quam accuratissime
mensurandus, qui ipse, item proportione exacta,
quae solebat esse unius partis ad decem aut unius
ad viginti, vi alcoholis faciendus erat spiritus
definitivus. Alia ratio, hoc scivit, nulla erat. Itaque
ea, quae nunc erat spectaturus, quae primum e
remoto irridens, deinde consternatus, denique
inops stupefactus observavit, ei necessario
videbantur esse mera miracula. Scaena autem
memoriae Baldinii quasi inusta est, ne umquam
oblivisceretur usque ad finem dierum suorum.

(continuabitur)

DE MYTHICIS SIRENIBUS IN RERUM NATURA

REFERT FABIUS MARTINES MEDICUS

Suis non demiretur quarundam longam vitam fabularum? Coram eleganti Sirenulae Havniensis aeneo signo ac tabula picta Nicolai Knupfer, Batavi pictoris, sententia primum ultroque exoritur qua inter septentrionales quoque gentes quaedam curiositas cupiditasque ad illam Maris Mediterranei inusitatam mythicamque figuram cognoscendam, cui nomen est *Siren* (Σειρήν), non defuit. Itaque ab ultima antiquitate eius anthropomorpha figura ambitiosaque illecebrae hominum mentes pervaserunt.

In extrema Italica regione haud procul a Siculis oris, anxxii nantes patriaeque desiderio flagrantes interdum, in illo immoti maris alto silentio, miram quandam cantionem audiverunt: cantus erat feminae ritu suavissime a Sirenibus motus. Immo vero, quemadmodum traditur, tribus vocibus chorum, idoneum ad quidquid de elapsis puerorum cantilenis revocandum at simul animum excitandum, per aerem diffundere videbatur. Summa quidem voluptate perfusi nautae, rudentibus laxatis et gubernaculo relicto, allecti earundem vi canendi magnetica, se ipsos navicularisque cum ad scopulos alliderent in litus irreparabiliter naufragium facere solebant.

Quae divinae maris incolae, ut in fabulis memoratur, modo ex Acheloo flumine musaque Calliope, modo e Phorco Cetoque dominis monstrorum marinorum genitae sunt. Utcumque res se habet, conjecturae istae, i.e. de qualibet Sirenū origine, satis superque ad quosdam earum naturam et mores explanandos probe se accommodant, tamquam si nostris diebus per singulalia ac definita gena hereditaria a parentibus tradita eos discernere possimus.

Primigeniae Sirenū imagines ab artificibus Graecis effectae sunt, quibus aspectum speciose dederunt hunc: multebre caput in lerido avis corpore, id est mirus quidam venustatis consensus concentusque. Tantummodo postea antiquitus Graeci et Romani artifices exornando earum effigiei formam mutaverunt cum, fusi specie sumpta, aspectui avis corpus piscis aut potius ceti vel delphini substituerent.

Inter fabulares historias praestat ea, quae de Ulixis peregrinatione ad praetervehendam insulam a Sirenibus habitatam narrat. Iam locus

portentosus prospiciebatur, dum Ulixes, malo laqueis a comitibus obstrictus secundum Circes consilium ne a Sirenū blanditiis vexetur, litus perstringit, cum in mari suspiciose tranquillo cantus suadentibus vocibus circumquaque irrefragabiliter exoriri coeperunt. Breviter ergo hae figurae marinae perniciosas corporis voluptatis illecebras effingunt cum maris tranquilli perfidiae similes traditae sint, quod scopulos sub summa aqua fallaci abdunt. At providus Ulixes, etiamsi stupore affectus audivit cantum magicum cui nulla vis resistere potest, tamen plane incolumis Sirenū insulae experimentum exceedere valuit.

Attamen Sirenū imago, quae etiam mediaevali tempore in corporis parte inferiore piscis figuram exhibet pinna caudali praeditam, nostris hodiernis cogitationibus opportune subiecit.

Non negandum est ab inusitatis incredibilibusque portentis, quae natura facit, fabulosa quaedam monstra exprompta et affabre in poeticis adflatibus vel ficta vel reculta esse. Sic seorsum praetereunte tempore earum imago cum popelli caecam inscitiam tum doctorum mentem alere perrexit, tam vivida permansit ut naturalium quoque prodigiorum definitio moveatur atque convenienter in pathologia ad specialia rerum naturae ingenia significanda accipiatur.

Etenim ut illa monstra singularem piscis aut animalium marinorum mammas habentium



Photographema 1: Modo natus deformis exhibetur severissima anomalia affectus, propter formam corporis Siren vel Sympus monopus nuncupatus.

conformationem pinna caudali praeditam exhibent, ita quidam hominis ac prope eum animantium fetus eiusmodi deformatam imaginem manifestis separatisque cruribus carentem praebere possunt.

Disciplina, quae ad monstra et corporis vitia spectat, Teratologia (*τέρας*) nuncupatur, quare hoc in conexu proponendus est casus de quadam Sirene quae, per anatomen indagata et visu praeter modum instructiva, naturale morpho-organogenesis perturbatae exemplum nempe effingit (photographema 1).

Modo natus praebet deformem aspectum Sirenis similem (Sympus monopus) et Potteriensem faciem ab amissa renum functione et umbilicali funiculo altera arteria carente. Post mortem per vestigatio hanc summam rerum patefecit:

- Crura in longitudinem coniuncta, angulo recto pro trunco inclinata, se offerunt. Etiam ordines ossium tres, quibus eadem crura constant, i.e. femora et tibiae potius quam fibulae et complures pedum ossa, inter se coalescunt (photographema 2). Utriusque coxae artus in area pubis antepositi quasi unam distortam (*ἀγκύλωσις*) iuncturam efficiunt. Pedes, ambo duabus inchoatis digitis praediti, per laterales margines in unum fusi prospicientes plantas ostendunt.
- Uniuersiusque lateris vertebro, cui columna vertebralis et os sacrum deformatum iunguntur, aliae planae sed non iam ossa pubis sunt itemque nervosi systematis cauda equina.
- Viscerorum voluntatio deficit. Nonnulla abdominis exta, in fundo pelvis sita, terminalium segmentorum expertes sunt; desunt enim vesica, urethra, apparatus renalis, genitalia interna, intestinum rectum usque ad anum. Anus ac genitalia externa absunt.

Agitur autem de severa anomalia quae immaturior ab initio tertiae septimanae praegnacionis inchoari solet, cum primi nuclei ex cellulis facti, apti ad caudalem fetus corporis partem conformandam, penitus in eorum organogeneticam progressionem perturbentur.

Necroscopica investigatione confecta conspicuam eiusmodi deformitatem, rectius Graece Srenomeliam appellatam, artissime nimio mesenchimae caudalis regressui colligare licet, quo autem in fetalis poli posterioris contextu et morphogenesis et organogenesis et istogenesis primum oriri, deinde augeri, porro maturescere nequeunt. Quaedam noxae prorsus efficiunt ut mediae pelvis regiones formandorumque viscerorum nuclei, in constituto quodam ordine propositi, deleantur.

Motus autem ab utroque latere gradatim progrediviens ac subsequens concretio cruralem

Photographema 2: Post mortem dissectione Sirenis caudalis poli crurumque ossa monstrantur.



cohaerentiam plus minusve afferunt usque ad cute musculisque factum involucrum edendum, aberrantia ossa circumvolvens (*συμ-μέλος*), modo pedibus informibus (*συμ-πόδος*) modo paene nulla re instructum. Materia quidem ita aggregata Sirenis habitum figurat.

Quid plura? Doctrina interdum etiam nunc phantasia fucatur neque caute quodammodo simul colludere aspernatur.

ADNOTATIONES BIBLIOGRAPHICAE

- De Vecchi B. = Teratologia generale - Ed. UTET, Torino, 1923.
- Duhamel B. = From the mermaid to anal imperforation: The syndrome of caudal regression. Arch. Dis. Child. 1961, 36, 152-155.
- Gallippi G.B., Martines F., Picardi P., Caracciolo G., Grimaldi A. = Un caso di srenomelia con mixoploidia 46,XX/47,XX,+18. Riv. Anat. Path. Oncol. 1984, 43, 59-69.
- Mottini G.E. = Mitologia greca e romana. Ed. Scolastiche Mondadori 1949.
- Talamo T.S., Macpherson T.A., Dominguez R. = Srenomelia. Angiographic Demonstration of Vascular Anomalies. Arch. Pathol. Lab. Med. 1982, 106, 307.

MUSAM SUAM

PROPONUNT DISCIPULI

Anno scholari exeunte Iohannes van Kasteel magister linguae Latinae a discipulis suis petivit ut scriberent disticha - res ardua, ut nemo nescit,

quam tamen illi iuvenes eleganter efficere valuerunt. Ut ipsi legetis, unusquisque aliquid suae indolis inseruit, hic risum, ille tristitiam, semper cum pulchro sensu poetico.

**De tempore invidioso** (*Mathilda*)

Quando suum vultum ad speculum longe adspicit illud,
Tempus triste est nunc: non pulchrum satis est.
Tunc frangit speculum; dein ad nos lumina vertit;
Tum venit ut capiat sic nostros iuvenes.

De Makita (*Sophia*)

Murem audacem atque artificem canta, mea Clio,
Quae facta est magna Bastidis auxilio.

De via formidolosa (*Helena*)

Lunae illustrat lux angustam atramque viam illam:
Sunt pavore in magno, vix quicunque ibi sunt.

De sole occidente (*Raphael*)

Caeruleum croceus cepit mare Phoebus Apollo
Et ruber adventum expetiit Lunae.

De viro beato (*Maria-Jasmina*)

Perpetuus laeto fokus tibi pectore lucet,
Dicere et hoc possum: tu laetissimus es.

De Icaro (*Servanus*)

Quando inimicum oriens attingit Icarus astrum,
Caelo fatalis fit casus aetherio.

De ave cantatrice (*Gabriella*)

Quid prima luce florenti inerat viridique
Arbore? Cum vento quae laudabat avis.

De viro mulieroso (*Theophila*)

Si pulchras tu, Marce, puellas diligis omnes.
Nullas invenies, te quia non tolerant.

Disputatio philosophorum (*Mathilda*)

Olim «carpe diem» dixit sic ille Epicurus;
Sed ego nunc dico: «carpe etiam noctem».

DE MUNERIBUS SERVORUM (VIII)

SCRIPSIT VALTHERUS FUCHS

PONDUS ERUDITIONIS

*Hoc hoc sepulcrum respice,
qui carmen et musas amas,
et nostra communi lege
lacrimanda titulo nomina.
nam nobis pueris simul
ars varia, par aetas erat:
ego consonanti fistula
Sidonius acris perstrepens...
hoc carmen, haec ara, hic cini<s>
pueri sepulcrum est Xant<h>ia<e>
qui morte acerba raptus es<t>
iam doctus in compendia
tot literarum et nominum
notare currenti stilo,
quod lingua currens diceret.
iam nemo superaret legen<s>
iam voce erili cooperat
ad omne dictatum volans
aurem vocari a<d> proximam
heu morte propera concidit,
arcana qui solus sui
sciturus domini fuit.*

Ecce lapidem sepulcralem tertii p.C.n. saeculi collocatum in honorem puerorum Sidonii et Xantiae. Hic agitur de tetrametro iambico et de scriptura continua, insuper insunt nonnullae ligature (l. 9, 13). In initio textus constabat e lineis 9 usque ad 22. Lineae superiores postea sunt insertae (quarum litterae paululo sunt minores). Ceterum illa vox «volans» (l. 18) non refert ad nomen Xantiae (l. 10), sed ad vocem *dictatum* (l. 18).

Nescimus num Sidonius et Xantias fratres fuerint aut gemelli. Nihilominus utrique nomen erat orientale. Verisimile est eos una cum parentibus (aut cum domino) Coloniam venisse. «Puer» significare potest et puerum vere et proprie et servum.

Coloniae forsitan muneribus servorum publicorum municipalium fungebantur. Administratione municipali ad cultum publicum, praecipue imperatorum quoque pertinente fieri potest, ut Sidonius munere servi publici «electi» functus sit occasionibus festorum numerosorum ac sumptuosorum sacrorum publicorum et fistula cecinerit una cum aliis symphoniacis.

Xantias contra in quodam grapheo in arte stenographica assiduus ac impiger munere fungebatur suo excellebatque ac ea de causa fiducia fruebatur praefecti. Scribae - praecipue stenographi - in antiquitate plurimi constabant in mercatura mancipiorum magnique aestimabantur, e.g. in libris multiplicandis copiandisque. Xantias inter stenographos numerabatur peraestimatos, qui artis stenographicae periti celerrime scribere valebant quia quoddam compendiorum systema speciale didicerant. Qua de causa magna erant auctoritate sibique dominisque magnas congerebant opes.

In ultima parte tituli elucere videtur Xantiam paululum «nimis» fuisse assiduum adolescentem: forsitan fiducia domini abusus nonnulla secreta domini divulgavit. «Praemium» forsitan illa erat «mors acerba».

Servi educati aut autodidacti aut institutione erudiebantur in scholis privatis quae paedagogia vocabantur. «Fratres» se alloquebantur. Et ingenui et servi admittebantur, qui vivebant in contubernio; bene vestiti bene nutriti bene compti per sex annos educabantur. In illis scholis strati socialis superioris non solum ingenui, sed etiam servi educabantur quorum multi post institutionem in paedagogiis bene eruditii iam in iuventute manumitti solebant. Servi imbuebantur educatione liberali, cultu civili, humanitate. Vernaie instituebantur cultu pragmatico. Ingenui autem maximam partem educatione universali fruebantur, ecce privilegium ingenuorum.

Quod attinet ad educationem servorum et vernarum, utilitarismus et principium erat et causa in campo educationis servorum, nam artes discebant legendi, scribendi, insuper mathesin, linguam Graecam. Poetas philosophosque Graecorum legebant - lingua Graeca lingua erat eruditorum. Tales servi maximam partem erant Graecissantes, i.e. oriundi e Graecia, Magna Graecia, Asia Minore, Africa Septentrionali.

Post educationem sex annorum vilici fiebant, secretarii, ministri, rhetores. Bonus rhetor non raro praefectus classis fieri poterat. Magnum erat emolumentum infantibus e regionibus Graecissantibus oriundis cum propter cognitionem linguae Graecae et cultum civilem Graecorum superiores essent Romanis.

(continuabitur)



DIES NATALIS CELEBRANDUS

Die 3 m. Iulii P. Caelestis Eichenseer nonnullos amicos familiaresque Saravipontum invitavit ad prandium, quo celebraretur eius septuagesimus quintus dies natalis. Ei toto pectore gratulamur atque vota facimus ut optima valetudine diu fruens operam semper dare possit ad linguam Latinam vivificandam.

IAM COGITANDUM EST DE LATINITATE PROXIMO MILLENNIO COLENDA !

Haec nobis iam nuntiat prof. Terentius Tunberg:

«Aliquid novi anno bis millesimo faciemus! Unum atque unicum Conventiculum Latinum mense Iulio Lexingtoniae duas hebdomades continuas habebitur!

Erat biennium consuetudo nostra ut annis singulis bina Latine loquentium conventicula Lexingtoniae in civitate Kentukia celebrarentur, quorum aliud exeunte Maio, aliud exeunte Iulio agitaremus. Attamen anno bis millesimo conventicula nostra ita coniungentur et continuabuntur, ut possint gregis nostri participes, qui quidem voluerint, a mensis Iulii die quarto decimo usque ad undetreesimum, biduo interposito (diebus vicesimo secundo et vicesimo tertio), Latine interdiu sermocinari, Latine noctu somniare, Latine noctes diesque vivere. Quaesumus ut qui conventiculo interesse constituerint sua dent nomina collectamque sive pretium adeundi exsolvant ad Kalendas Maias, quae est nominibus accipiendis et inscribendis praestituta dies. At quo quis maturius rogaverit ut in conventiculum conscribatur, eo verisimilius erit locum ei dari posse. Nam haud plus **quadraginta et quinque** participes nobis anno bis millesimo licebit admittere. »

Si quis plura scire cupit, scribat ad Terentium Tunberg: CLATOT@POP.UKY.EDU

CERTAMEN LINGUAЕ LATINAЕ

Civitas Bauzanum instituit certamen linguae et litterarum Latinarum. Si vobis est in forulo quodam reciproco textus Latinus, quem stilo vestro aliquando conscripsistis nec umquam in lucem edidistis, deferatis eum ad moderatores!

Si quis plura scire cupit, scribat ad secretariatum Bauzanensem: Segreteria, Ufficio Cultura, Vico Gumer, 7 - I-39100 Bolzano.